

59

DE
**FEBRIVM MALIGNARVM
ANCIPITI EVENTV
OB TVBVM CIBARIUM
BILE ET CRVDITATIBVS REPLETVM**

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINA ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,
PRO GRADV DOCTORIS
DIE XXVIII. MAII. A. O. R. cI*o*CCCLVII.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DISPVTABIT
AVCTOR
IOANNES THEOPHILVS KLOSE
VRATISLAVIA - SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE
E T Y P O G R A P H E O C V R T I A N O.

LEBRINN MALLIGANAR
ANCIPITI EAEVTA
OB TABAM CIBARIUM
BLA ET GRADITIBAS REPTATUM

ЭДИСОН ЯФ

D. ANDREI ETIA BACCHERIO

PROGRADA DOCTORIS

IN AIMA RUGBY BRIDGERCIAZ

THE UNIVERSITY LIBRARY

AGENDA

JOANNES THEOPHILUS KROSE

（二）新民主主义文化——民族的、科学的、大众的文化

THE GOOD SERVICE
A TYPICAL CASE OF A PATIENT



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
FEBRIVM MALIGNARVM
ANCIPITI EVENTV
OB TVBVM CIBARIVM
BILE ET CRVDITATIBVS REPLETVM.

PROOEMIVM.

Vtilissimam operam mibi praestare videntur
artiis salutaris cultores, quotquot illorum
omne studium adferunt ad indagandam
penitusque pernoscendam morborum na-
turam. Nam rite imbutis ista doctrina iam facile
patebit adiutus ad illarum regularum cognitionem sibi
simul comparandam, quibus in morborum curationibus
recte

A 2

CARTA

* * *

rete instituendis opus est. Dum iam totius artis medicae finis ad vitae humanae conservationem tendit: illorum conamina maiori quadam laude digna fore videntur, qui in explicandis morborum effectibus novis ad causas quidem in vita humana frequentissimas, sed plerunque neglectas, animum dirigunt suum. Tunc enim salutares illae regulae in medendo certius obseruantur, quae alias praeteruideri solent. Non indignum igitur Dissertatione inaugurali fore iudicium argumentum, quod mihi in praesentiarum sumsi pertractandum. Quod ut eximia sua utilitate non caret, ita quoque nec adeo pertritum est; dum non reminiscor, peculiari quodam scripto excussum esse, quantopere ad grauationes tubi cibarii, a bile et cruditatibus factae, ancipiti euentui febrium malignarum opitulentur. Ut vero rei ipsius naturae conuenienter argumenti tractatio instituatur: necesse erit, ut prius de febrium malignarum indole et natura quaedam generalia proferantur; deinde ostendatur, quomodo inter plures alias causas bilis praecipue et cruditates in tubo cibario ancipiitem harum febrium euentum promouere possint; tandemque de modo differatur, secundum quem curatio tali in casu rite adornanda sit. Atqui ita tractatio haec in tria capita dispescenda erit. Faxit supremum Numen feliciter!

CAPVT



CAPVT I.

DE

FEBRIBVS MALIGNIS GENERATIM.

§. I.

Dari morbos, experientia docet, a quibus dum quidam corripitur, huius exhalationes, vel aliae materiae excretae, ad alterius subiecti corpus transgressae, in eodem saepe similem morbum procreare solent. Cuius rei exempla suppeditant scabies, praecipue ferina, lues venerea, purpura, petechiae et plures alii morbi. Sed descriptae conditionis morbi ad *malignos* referri, et *benignis* opponi solent.

§. II.

Manifestum praeterea esse puto, quod tunc omnia impedimenta in illo corpore deficere debeant, in quo similis morbus ab alterius aegri exhalationibus producendus est. Quorsum exempli loco pertinent dispositio quaedam corporis eminens ad morbum certae speciei facilius concipiendum, vel usus remediiorum corpus a morbo praeseruantium, et id genus alia. Nam eodem modo se res hic quoque habet, prout in aliis corporibus naturalibus, in quibus non semper certi quidam effectus, sed certa tantummodo sub conditione prodeunt. Ita tandem comparatam esse puto definitionem morbi maligni in §. anteced. propositam,

A 3

vt

vt illa partim sufficiat ad morbum malignum a benigno discernendum, partim etiam apprime congruat cum vñ loquendi in scholis medicis recepto. Satis luculentem id infra constabit, vbi sermo erit de fluidorum in corpore humano constitutione, quod morbo cuidam maligno subiacet. Tunc enim patebit, quod morborum malignorum ortus ex putrido deriuandus sit.

§. III.

Neque minus per experientiam constitit, eam quorundam morborum esse indolem, vt intra breve temporis spatum decurrant, vitaeque aegri valdopere insidentur; quorsum spectant graves viscerum inflammations, febris petechialis, et id genus plures alii morbi. Quodsi iam in morbo quodam modo dicta prauitas deprehendatur: eundem tunc *acutis* annumerare moris est, in oppositione scilicet ad morbum *chronicum*.

§. IV.

Atque hanc quoque morbi acuti definitionem, in §. anteced. enarratam, satis claram esse iudico consentaneamque vñ Medicorum in loquendo. Quod vno vel altero exemplo facile probari poterit. *Aurel. Cornel. CELSVS Libr. III. Cap. I.* de morborum generibus inter alia disputat, morbosque acutos chronicos opponit. *Priores* iam huius indolis esse debere adserit, vt cito vel tollant hominem, vel ipsi cito finiantur;

de Febribus malignis generatis.

7

antur; de posterioribus vero praedicat, quod longi sint, quod sub iis neque sanitas in propinquuo sit, neque existium. Recenserit hic etiam possent complura loca ex scriptis GALENI, idem demonstrantia. Unicum exemplum exinde allegasse sufficiat. Tom. IV. *de Diebus decretoriis* Libr. III. Cap. XIII. *morbis acutis*, inquit, *propter velocitatem periculosis sunt, quod secus se habet cum diuturnis.* Atqui eiusdem quoque est sententiae *Coel. AVRELIA-NVS de morbis acutis et chronicis*, Libr. I. Cap. V. dum priores cito vel interficere, vel desinere in sanitatem, adseuerat, posteriores autem praeiudicio quodam possidere corpora. Haec ergo allegata Medicorum testimonia sufficere poterunt ad ea probanda, quorum causa hoc loco adducta fuerunt.

§. V.

Quoniam febres malignae cito decurrunt, atque in illis vita aegri pericitatur; id commonstrante Pathologia: consequens erit, vt febres malignae morbis acutis adnumerari debeant (§. III.).

§. VI.

Exinde iam vterius colligere licebit, definitio-
nem febrium malignarum componendam esse ex noti-
one morbi acuti et maligni (§§. I. et V.).

§. VII.

Dum praeterea in constituendis febrium generi-
bus

bus adtendere solent Pathologi ad earum typum, ita, vt hoc respectu febres diuidant in continentes, sive continuas non remittentes, porro in continuas remittentes, tandemque intermittentes: ne ista quidem relatio negligenda erit in construenda febrium malignarum definitione. Atqui ita cum istae febres huius conditionis esse deprehendantur, vt ab acerbitate symptomatum sibi familiarium per aliquot horas remittant; quemadmodum id matutinis horis fieri obseruatio testatur: nullum erit dubium, quin etiam ad febres continuas referri debeant. Non poterunt ergo non *febres malignae* definiri, quod sint continuae, quodque indolem morbi acuti et maligni prae se ferant (§. ant.).

§. VIII.

Nondum vero ex hac febrium malignarum definitione illarum natura ita manifesto constat, vt inde simul distincte intelligatur, quanta ab iis damna corpori inferantur. Ulterius igitur scrutanda erit definiti morbi indoles.

§. IX.

Docet Pathologia, morbos malignos morbis fluidorum accensendos esse. Quorum itaque numerum vt febres quoque malignae subeant, necesse erit (§. VII.). Hinc consideratione fluidorum in corpore humano opus erit ad rite pernoscendam harum febrium natum.

§. X.

§. X.

At enim vero de morbis fluidorum cogitanti, nihil amplius in iisdem deprehendere licebit, praeter virtus quantitatis et qualitatis. Sed ex vitiosa fluidorum quantitate intelligi non potest, cur inde similis morbus in altero quoque subiecto determinetur; quippe quod ad morbum malignum requiritur (§. I.). Ex quibus iam haec manifesta consequentia fluit, in omnibus nempe morbis malignis, adeoque etiam in febribus huius nominis, virtus qualitatis fluidorum adesse debere.

§. XI.

Fluidorum morbosae qualitates illorum depravata mixtione inuoluunt. Necessarium igitur erit, ut humorum mixtio in febribus malignis a statu sanitatis prorsus recedat, illique similis sit, ex cuius corpore materia maligna ad aliud transmigrat, morbum similis conditionis ibidem determinatura.

§. XII.

Non vnius autem generis humores sunt, qui in corpore humano continentur. Nam praeter sanguinem alia quoque ibidem dantur fluida, ex illo secreta, ut lympha, serum, etc. Cum ergo in febribus malignis depravata fluidorum mixtio obtineat (§. ant.): merito hic oritur quaestio, in quibusnam praecipue fluidis prava illa mixtio nascatur? Serio hoc pondérans, eaque simul considerans, quae iam supra in me-

B

dium

10 Caput I.

dium prolata sunt, facile id intelliget enodabitque. Ad morbum enim malignum ex uno corpore in aliud transferendum requiritur, ut materia maligna, ad massam humorum delata, huic simili modo depravatam mixtionem conciliet (§. antec.). Sed talis translatio materiae mixtionem humorum corruptentis non nisi per vasa inhalantia fieri potest. Cum itaque sanguis, per se consideratus, per vasa inhalantia ex superficiebus partium corporis ad massam humorum deferri nequeat; secus vero se habeat cum fluidis secretis: horum quoque depravationes ratione suae mixtionis suborientur in febribus malignis.

§. XIII.

Miasmatis excretionē ex corpore, morbo maligno adfictō, opus est, si id ad aliud corpus deferri debet, in quo eiusdem indolis morbus excitatur (§. XI.). Ex quo iam liquet, illas hic praecipue excretiones necessarias esse, quae in partibus externis fiunt. Quia vero per tales excretiones nullum aliud fluidum, quam lymphatico-serosum, e corpore remouetur: huic quoque fluido in primis illa depravata mixtio adhaerebit, quam sibi vindicant morbi maligni.

§. XIV.

Quamuis, morbos malignos ex vitiata fluidi lymphatico-serosi mixtione ortum suum ducere, in §. anteced. adseruerim: non tamen obstat, quo minus ista corruptio

riuptio ad vniuersam massam humorum progreediatur. Mox id luculentissime patebit, vbi ex obseruationibus determinare adlaborabo, cuius genii istae fluidorum corruptiones in febribus sint malignis.

§. XV.

Experientia, optima illa veritatis magistra, multoties docuit, corpus humanum putrefactioni subeundae admodum esse aptum, indeque varios morbos ortum suum trahere.

§. XVI.

Saepius vero contingere solet, vt humores in corpore humano putrefactionem subeant sub diuerso fluiditatis gradu. Ita in iis, qui scabie, aut lue venerea laborant, non mediocris adeſt seri et lymphae visciditas; dum e contraria parte in subiectis pestilentiali aut alia febre intensioris malignitatis decumbentibus, manifesta fluidorum in corpore rarefactorum signa adparent: quamuis in utrisque ipsis casibus fluida putrida sint. *Conf. Celeberr. SCHREIBERVS in Obſeru. et Cogitat. de Pestilentia Ucraniensi et Oczacouienſi. Illuſtr. b. m. HOFFMANNVS in Med. rat. ſyſtem. Tomi. IV. Part. I. Sect. I. Cap. XI. XII. et Part. V. Cap. IV.*

§. XVII.

Quoniam partes putridae ad corpus aliud, pu-
B 2 trefa-

trefactionem facile subiens, delatae, hoc quoque ad illam suscipiendam disponunt; id testante experientia, magisque luculenter demonstrante Chemia: fieri hinc poterit, vt particulis quibusdam putridis ex vnius subiecti corpore ad corpus alterius delatis, in isto quoque massa humorum putrefiat, et morbus producatur similis illi, vnde particulae illae putridae egrediebantur. Atque ita ortus morbi maligni fatis distincto modo concipi poterit.

§. XVIII.

In venereis, aliisque subiectis, morbo alio maligno chronicō inquinatis, obseruare licet, quod illa praecipue loca corporis, quae vasorum lymphatico-ferosorum copia a reliquis distincta sunt, grauius adficiantur. Sic enim venerea lue adfictis oboriuntur scirri, vleera circa partes glandulosas, vltterius deinde serpentina. Idem hoc etiam simili fere ratione contingere deprehendimus in corporibus febre quadam maligna correptis. Exemplo bubonum pestilentialium, aut aliarum metastasium febrilium, versus parotides, vel alia loca glandulosa, in febribus malignis, epidemice grassantibus, obortarum. Plura adhuc ex pathologicis hic adduci possent exempla, nisi prolata iam sufficent, ad probandum a posteriori, vt dicunt, quod in morbis malignis fluidum lymphatico-ferosum magis corruptum esse debeat, et quod iam dictis in §. XIII. experientia prorsus adsentiat.

§. XIX.

§. XIX.

Ex haec tenus disputatis haud obscure intelligere licebit, quod morbi maligni in putrefactione fluidorum lymphatico-ferosorum consistant, et illorum definitio magis realis hocce modo construi possit (§. XIII, XVII. et XVIII.).

§. XX.

Dum praeterea putrefactiones fluidorum corporis humani ita oboriri possunt, ut illa vel viscida et tenacia permaneant, vel rarefiant (§. XVI.), atque ob illorum diuersum consistentiae gradum diuersi etiam possibles sunt effectus in corpore (per principia Patholog.): nemo non exinde videt, quod morbi maligni, vtpote qui in fluidorum lymphatico-ferosorum putrefactione consistunt, ad certas iam reduci possint species.

§. XXI.

Inferius constabit, ex fluidorum simul putrefactorum rarefactione maxima vitae aegri nasci pericula, morbumque talem malignum breuioris esse decursus. Ut ergo ille idcirco acutus sit, dubitari nequit (§. III.). Ex quibus iam naturali quadam consecutione conficitur, essentialiē illam fore differentiam, quae morbos malignos chronicos et acutos intercep-

dit, dum scilicet priores massae lymphatico - serosae visciditatem, posteriores autem illius rarefactionem sibi vindicant; licet in vtrisque modo dictae fluidorum massae putrefactio adhaereat (§. XVI.).

§. XXII.

Ex §. praecedenti nunc vterius colligi poterit, praeter putrefactionem fluidorum ad illorum quoque rarefactionem animum simul dirigendum esse, si rite cognoscere intendimus febrium malignarum indolem. Quod enim febres istae numerum morborum malignorum acutorum subeant, id iam satis declarauit §. VI.

§. XXIII.

Per obseruationes constat, idque in chemicis luctulentius docetur, fieri posse, ut ope putrefactionis in corporibus naturalibus, iis praecipue, quae ad regnum animale pertinent, salia vrinoſa, ſive alcali volatile, generentur.

§. XXIV.

Suppeditat nunc nobis §. anteced. anſam concludendi ad ortum alcali volatile in corporibus illorum, qui febribus malignis laborant; vt pote in quibus putrefactio fluidorum lymphatico - serosorum inauertuit (§§. VII. XIX. XXI.). Saepius etiam ista salium vrino-

vrinosorum praesentia in febribus malignis ope sensuum deprehenditur. Quandoque enim fit, vt in purpureis, catarrhalibus petechizantibus, aliisque febribus eminentioris malignitatis, putridae exhalationes aegri pariter, ac adstantium nares molestissime feriant offendantque.

§. XXV.

Anne vero etiam arsenicalis quid in corporibus, febri malignae obnoxiiis, occurret, prout fert sententia veterum Medicorum, de arsenico animali in febre in primis pestilentiali differentium? Non omni plane probabilitate ista opinio destituitur. Sagacissimus enim BECHERVS sali communi, maxime huius acidu, arsenicalis quid adhaerere autumat. Quam in rem conferri meretur *Illust. IVNCKERVS in Chem. Edit. german. Tom. III. Tab. LXIII.* Sed inesse fluidis corporis humani sal culinare huiusque acidum, experimeta Chemicorum euidenter probant: prout idem satis demonstratum dedit *amicissimus D. RVDOLPH*, in Dissertatione sua inaugurali, *de gradibus malignitatis in morbis malignis*, duobus fere abhinc annis, Praefide illustri BÜCHNERO, defensa. Neque huic sententiae contraria esse videntur obseruata. Nonnunquam enim contingere solet, vt exhalationes grauiter aegrotantium ex febre maligna spargant foetorem alliaceum, adeoque arsenicali sumillimum.

§. XXVI.

§. XXVI.

Atqui iam consideratis iis, quae hucusque de febribus malignis disputata sunt, haud difficulter intelligere licebit, quam graues effectus, quantaque inde damna corpori inferantur. De quibus nunc in peculiariis quibusdam §§. explicatius agendum erit.

§. XXVII.

Non alia fluidorum in corpore, quod febri cuidam malignae subiacet, obtinet conditio, quam vt, praeter putrefactionem, rarefactio insimul in iisdem notetur (§. XXI.). Quoniam vero putrefactio ad modos possibles pertinet, vnde cohaesio partium solidarum in corpore nostro immunitur, et corpus debilitat (per principia pathologica): insigni quadam debilitate vt corpora aegrotantium ex febre maligna adficiantur, necesse erit; idque eo magis, dum ob circulum sanguinis austum, qualis in omni febre locum habet, putridum per vniuersam massam humorum dispergi poterit. Accedit ad haec, quod fluida in febribus malignis non careant particulis causticis (§. XXIV. et XXV.). Salia namque vrina vino valdopere arroduct. Videre id inter alia licet ex experimento illo, quod celeberr. BOERHAAVIUS exponit in *Elem. Chem. Tom. I. Part. II. Edit. Lugd. p. 804.* vbi nimurum ex adiplicacione salis vrinæ ad cutim sanam, tectamque desuper emplastro quodam tenaci, intra breue temporis spatium

tium suboriri videbantur dolor ardens, inflammatio,
eschara nigra, gangrenosa erosio vsque ad ossa pene-
trans. Sed ope adrosionis partium solidarum cohae-
sio quoque imminuit; adeoque ex ista etiam ratio-
ne debilitas corporis in febribus malignis ortum suum
trahere, multoque maiora incrementa capere debet,
dum, ob rarefactionem humorum, nulla salutis causti-
corum hic possibilis est obvolutio.

§. XXVIII.

Dicitis in §. anteced. consentit experientia, fidif-
sima illa veritatis praeceptrix. Quodnam enim ma-
ius est incommodum, de quo adeo conqueri solent
aegri sub febribus malignis, quam insignes virium pro-
strationes, quibus se mirum in modum oppresos esse
sentient miseri? *Conf. Illusfr. b. m. HOFFMANNVS l. c.
Tom. IV. Part. I. Sect. I. Cap. XI. XII.*

§. XXIX.

Licet ista debilitas corporis in febribus mali-
gnis vniuersalis sit: fieri tamen poterit, vt illa pro ra-
tione determinationum individualium aegri modo in
hac, modo in illa parte plus emineat: atque tunc sin-
gulares quidam effectus producentur. Quodsi enim
ista debilitas eminentioris gradus fiat in pulmonibus,
facile eueniet catarrhus suffocatiuus; si in encepha-
lo,

C

lo, affectus soporosi, aut apoplectici determinabuntur; si in vasis sanguineis, suborientur stases indeque inflammations, ob putridam massae humorum constitutionem perquam velociter ruentes in sphacelosam partium corruptionem. Non possunt vero non modo enarrata mala infensissima esse vitae aegri.

§. XXX.

Nec hoc etiam loco nobis denegat adsensum suum experientia, qua teste multoties constituit, aegros ex febribus malignis periisse vel ob catarrhum suffocatum, vel insultum apoplecticum, vel ob perniciofissimas in visceribus inflammations. *Conf. Illustr. b. m.*

HOFFMANNVS *l. m. c.*

§. XXXI.

Complura alia damna, quae febres malignae in corpore producere solent, hic recensiari poscent, si instituti nostri alia ratio foret, quam ea solum proferre, vnde distincte cognoscatur, cur tubi cibarii adgrauationes a bile et cruditatibus ancipitem euentum istarum febrium determinare valeant. Atque huic scopo sufficere posse iudico hactenus a me prolatas affectiones febrium malignarum. E re tamen nostra erit, quae-dam adhuc monere de salutari istarum febrium soluti-one spontanea.

§. XXXII.

§. XXXII.

Natura sibi ipsi relicta nullum alium modum habet, corruptam massam humorum in febribus malignis corrigendi, quam exterminando putridum ex corpore. Fit id partim per excretionem feri, maxime illam, quae beneficio transpirationis absoluuntur; partim etiam per delationem materiae putridae ad exteriora loca corporis. Quae si neque impetuose, neque nimis languide eueniant: tunc aeger ex morbo isto periculofissimo feliciter emerget. Alias vero eidem succumbendum erit. *Vid. Illustr. b.m. HOFFMANNVS l.m.c.*

§. XXXIII.

Quaecunque igitur mutationes corpori accidentunt, impedientes descriptam in §. anteced. spontaneam facultarem solutionem febrium malignarum, illae iam rationem sufficientem in se continebunt anciptis morbi euentus.

§. XXXIV.

Vndenam ista omnia impedimenta salutaris solutionis febrium malignarum dependeant; aut a quibus causis febres malignae in corpore accendantur: haec ex pathologicis cognoscuntur, neque hic repeti possunt et debent. Nam et nimis prolixa, et a scopo praesente aliena foret tractatio. Ego enim apud me

C 2

con-

20 Cap. II. de modo, quo bilis et cruditates in tubo cibario

constitui hunc casum dilucidare, quo scilicet fiat modo, ut febres malignae, in quibusdam subiectis iamiam obortae, ob bilem et cruditates in tubo cibario, euentum ancipitem consequi possint? Atqui id iam declarare ad laborabo in Capite sequente.

CAPVT II.

DE MODO, QVO BILIS ET CRVDITATES IN TVBO CIBARIO FEBRIVM MALLGNARVM EVENTVM ANCIPITEM PRODVCVNT.

§. XXXV.

Dum a bile et cruditatibus ventriculus et intestina adgrauantur: exinde iam varii ibidem nascuntur morbi; id exponente Pathologia. Ex ista morborum varietate illos tantummodo enarrare hoc loco conueniet, qui impedimenta quaedam salutari febrium malignarum solutioni obiciunt, earundemque ancipiti euentui fauent. Nam haec est ratio argumenti in Capite praesente tractandi.

§. XXXVI.

Ex pathologicis non potest non esse compertum, a bile et cruditatibus, in ventriculo et canali intestinali haerentibus, saepius ibidem produci spasmum et flatulen-

febrium malignarum euentum anticipitem producunt. 21

tulentiam. Dum vero ob spasmos, in abdomen ortos, validissima nascitur causa congestionum determinandarum versus thoracem et encephalon: necesse erit, ut tunc in ipsis locis gradus debilitatis emineat. Sed a flatulentia quoque eiusmodi insignes coaceruationes fluidorum in locis superioribus effici poterunt; dum intestina a flatibus distenta vasa viscerum valdopere comprimunt, ut idcirco sanguis in vasibus aliis a compressione liberis magis adaugeri debeat. Quare hic etiam in locis coaceruatorum fluidorum debilitas incrementa crescit.

§. XXXVII.

Quoniam in febribus malignis, ex eminenti quodam gradu debilitatis, in una vel alia parte obortae, peculiares quidam effectus ibidem nascuntur; atque hic ad eiusmodi loca affecta pertinent pectus et encephalus (§. ant.); sequitur, ut tunc facile determinentur inflammationes pulmonum, vel cerebri, catarrhus suffocatiuus, affectus soporosi, apoplectici (§. XXIX.); merae adeoque mutationes, anticipi euentui febrium malignarum respondentes (§. XXX.).

§. XXXVIII.

Sed alias adhuc obtinet modus, in casu ad §. XXXVI. proposito, aptissimus ad promouendum anticipitem euentum febrium malignarum. In pathologis

22 Cap. II. de modo, quo bilis et cruditates in tubo cibario

cis videlicet euictum datur, quod, obortis partium internarum nimiis distensionibus, spasticae constrictiones in perimetro corporis concidentur. Quia vero ob constrictum corticem exteriorem seri ex eodem excretio intercipitur, et si quae iam exanthemata ibide exclusa fuissent, facillime retrogredi poterunt: adparret inde, salutarem tunc solutionem febrium malignarum hoc modo impediri (§. XXXII.). Quare in §. antec. enarrati peſſimi effectus increſcunt, ſtatus aegri periculosior redditur totiusque morbi euentus anceps fit (§. XXXIII.).

§. XXXIX.

Numerum porro morborum, qui ex bile et cruditatibus, tubum cibarium onerantibus, originem suam ducere poſſunt, ſubit quoque diarrhoea; id explicante Pathologia. Saepius hic contingere folet, vt subortae inde fluxiones alii mirum in modum exceſtant.

§. XL.

Quodſi iam excedentes eiusmodi euacuationes per anum ſubiectis, a febre maligna correptis, obtingant: illorum vita ſummum ut ſubeat diſcrimen neceſſe erit. Nam quia, teſte Pathologia, nimiae alii defluſiones excretionem periphericam imminuunt: non poterit inde non fieri, quin maxima tunc naſcantur impe-

impedimenta salutaris solutionis febrium malignarum, et forte iam comparentia in cute exanthemata iterum retrahentur versus loca interiora (§. XXXII.). In quo igitur casu iam tuto concludi poterit ad ancipitem euentum febrium malignarum (§. XXIX. XXXIII.). Quibus adhuc accedit, quod, testantibus frequentissimis obseruationibus, hic perniciosissimae integro canali intestinali accidere soleant inflammationes.

§. XLI.

Neque minus faburra illa putrida considerationem quandam hic meretur, quae ex nimis diu retentis bile et cruditatibus in tubo cibario prodire poterit (per principia pathologica). Fieri tunc poterit, ut chylus, ad sanguinem deferendus, putridis particulis continuo inquinetur, hocque tandem modo integra massa humorum putridam indolem concipiatur. Quae conditio si iam in corpore aegro ex febre maligna obtineat: necesse tum erit, ut etiam putrefactiones in fluidis lymphatico- serosis maiora augmenta capiant, aegrotantisque status periculorum plenior efficiatur.

§. XLII.

Docet porro Pathologia, bilem et cruditates in ventriculo et intestinis ansam praebere ingenerandae sufficientis causae efficientis *febrium intermittentium*.

Quan-

24 Cap. II. de modo, quo bilis et cruditates in tubo cibario

Quando id iam euemiret subiecto, febri malignae obnoxio: tunc certe non exigui momenti impedimenta oborirentur intuitu salutaris morbi solutionis. Etenim ex pathologicis satis liquidum est, febres intermittentes superare reliquas vehementia et duratione rigoris cutis, siue spasmī peripherici. Quoniam autem spasticæ habitus externi constrictiones salutari febrium malignarum solutioni officiunt (§. XXXVIII.); hinc illarum euentum ancipitem fieri posse, inde conspicuum erit. Est ceteroquin Practicis res satis comperta, quanta in pericula vitam aegri febres intermitentes, malignis superuenientes, coniiciant.

§. XLIII.

Non dubito, quin iam prolata in hoc Capite sufficient ad distincte cognoscendum modum, quo bilis et cruditates, a quibus ventriculus et intestina onerantur, ancipitem euentum febrium malignarum inducere possint. Cognosci inde simul poterit ratio, cur febres castrenses ingentes strages militum intra breve tempus edere queant. Miltes enim, qui in castris versantur, non ita exquisitam et ordinatam obseruare possunt diaetam, adeoque a prauo illorum viatu facile generantur cruditates in ventriculo et intestinis. Proinde etiam in tali vitae genere commotiones animi satis frequentes sunt; hinc etiam bilis iusto copiosiores effusiones in ventriculum et intestina non deerunt.

Sub

Sub epidemica igitur grassatione febrium malignarum inter milites, castra sequentes, frequentissimus iam erit ille casus, cuius explicationem in Dissertatione hac suscepi. Sed exponendum quoque erit, quid in tanta calamitate aegrotantium ars valeat, ut illorum quoque prospiciatur commodis! Quare iam ad ultimum Caput Dissertationis meae progredior.

CAPVT III.

D E

CVRATIONE FEBRIVM MALIGNARVM
IN CASV TVBI CIBARII ADGRAVATI A
BILE ET CRVDITATIBVS.

§. XLIV.

Quamuis quidem methodus ordinaria febribus malignis medendi in casu proposito principem tenere debeat locum: tempestiu tam en iuuabit instituire euacuationes bilis et crudatum ex ventriculo et intestinis, et quidem ita, ne inde salutares febrium malignarum solutiones perturbentur. Rationem huius regulae haud difficulter ex superioribus intelligere licebit. Quia enim bilis et cruditates, ventriculum et intestina obruentes, vim causae subeunt, impedientis febrium malignarum salutares solutiones, atque

D

ideo

26 Cap. III. de Curatione febrium malignarum

ideo remoueri debent: hinc eo iam prospiciendum erit, ne inter susceptas remotiones horum impedimento- rum noua alia producantur. Quod facile fieri posset, impetuose institutis euacuationibus, aut talibus ad tu- bum cibarium admissis, quae flatus vel tormina ventris concitare possunt.

§. XLV.

Hinc statim sub initio morbi optime conueniet **vſus lenioris cuiusdam emetici.** Quo nomine inprimis commendari meretur radix Ipecacuanha, in puluerem redigenda, atque cum nitro depurato exhibenda. Hu- ius enim medicamenti, eodem scopo aegris oblati, exi- mium effectum in febre pestilentiali deprehendit cele- berr. SCHREIBERVS l.c.

§. XLVI.

Proficuus hic porro erit **vſus clysterum demulcen-** tum atque ex mucilaginosis et oleosis parandorum: fol- uuntur enim hoc modo stricturae ani, et aluinae euacu- ationes sine stimulo promouentur, ita, vt non extime- scenda hic sint illa impedimenta ratione salutaris febri- um malignarum solutionis, quae alias ex impetuosis al- ui excretionibus suboriri solent. Accedit insuper, quod hoc modo blanda quaedam materia, ano iniecta, cana- lem intestinalem magis defendat ab arrosione.

§. XLVII.

§. XLVII.

Hisce dein statim subiungi debent ea remediorum genera, quae putridam massae humorum indolem corrigit, blandam diaphoresin promouent, aestumque febrilem temperant; sed talis humorum correctio accommodata esse debet singulari illorum constitutioni in febribus malignis. Quare ob nimiam eorundem refractionem (§. XXI.) incrassantibus et acidulis; ob acrimoniam (§. XXIV. et XXV.) obuoluentibus opus erit. Proficent idcirco pulueres temperantes et diapnoici, parandi ex terreis tenerioribus, sive absorbentibus simplicibus, additis simul antimonio diaphoretico, C. C. Sine igne praeparato, et, si nimius fuerit aestus, nitri pauxillo. Possunt etiam tales pulueres in potionibus, cum aquis diapnoicis parandis, exhiberi. Loco potus ordinarii ptisanae acidulatae commendentur. Animum aeger, quantum fieri potest, erectum et tranquillum conseruet, obseruando simul regimen moderate calidum, ut corpus in continua maneat transpiratione. In primis autem durante curatione virium aegrotantis sedula habeatur ratio, ad quas conseruandas et erigendas conducent potionis analepticae, et victus blande nutritis. Neque tandem ea remedia negligantur, quae, in casu obortarum excedentium congestionum ad loca superiora, easdem refraenare, atque humores magis ad loca inferiora deriuare valent. Quorsum pertinent frictions pedum, et vesicatoria ad suras applicanda. Haec ergo sunt principaliora, in methodo febribus

D 2

mali-

28 Cap. III. de Curatione febrium malignarum &c.

malignis medendi obseruanda, quorum usus et applicatio in casu praesente locum sibi vindicat (§. XLIV.).

§. XLVIII.

Quae praeterea cautions in Therapeuticis supeditari solent ratione emeticorum, saepius intermit-tendorum in subiectis eximiae sensibilitatis: illarum quoque hoc loco obliuisci nefas foret.

§. XLIX.

Quodsi vero in casu praesente iam adpareant catarrhi suffocatiui, insultus apoplectici, inflammations viscerum, aliaque grauissima mala: adhibenda tunc quidem erunt remedia illa, quibus tantis malis obviam iri solet, quamuis plerumque incassum, ob atrociam morbi, in usum trahantur; quare etiam his sub circumstantiis tempestiue fatali sibi prospiciat prognosi Practicus.

§. L.

Atque ita, propositis potioribus, quae ad argumenti pertractati partem practicam pertinent, Differ-tationi huic nunc imponere licebit

F I N E M.



EGREGIE DOCTO
C A N D I D A T O
S. D.
D. ADAMVS NIETZKI.

Propter multa variaque negotia; quibus me obrutum esse video, breuem quidem nunc ad TE mitto epistolam, tam publicam quandam animi mei erga TE explicatricem. Dum mibi iam ex eo tempore, ex quo Fridericiana nostram accessisti, non fecus ac morum probitate et industria innotuisse; dum omnia nunc parantur, ad summos in Medicina honores TIBI conferendos: non potui non in illorum numero esse, qui votiis acclamationibus TIBI quaevis bona apprēcantur. Opponentis munus, quod in me detulisti, eo lubentius suscepī, quo certior sum, fore, ut eadem animi alacritate argumenta publice discutias, qua saepius in priuatis exercitiis fecisti. Restat, ut mei quoque memoriam in posterum conserves, sciasque, me in TE amando augendoque nemini fore secundum. Atque ita vale, resque TVAS feliciter age! Dab. in Acad. Frider. die XXVI. Maii A.R.S. MDCCLVII,

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO
AMICO AESTVMATISSIMO
S. P. D.
CLAVDIVS GOTTL OB TIMMERMANN
VRATISL. SILES.
MED. CAND. OPPONENS.

Maxime sane mihi gratulor de ista abs TE mihi oblata occasio-
ne gratissima, qua animum meum TIBI, AMICE SVAVISSI-
ME, deditum publice contestari possum. Vinculum enim amicitiae
quod a prima nostra aetate arctissime nos coniunctos tenuerat, quod-
que, dum in *alma hacte Fridericiana* per triennium fere semper me-
cum in eodem studiorum tramite versatus es, adhuc magis increue-
rat, maxime quoque a me postulat, ut dum laureandae TVAE di-
ligentiae dies iamiam imminet, numero me, TIBI nunc applauden-
tium, adiungam. Concedes propediem cathedram, AMICE SVA-
VISSIME, ut pro laudabili TVA industria, quam in addiscenda arte
medica adhibuisti, promerita TIBI conferantur praemia. Gra-
tulor exinde TIBI non de TVO solum satis eruditे elaborato in-
augurali specimine, sed de honoribus etiam doctoralibus, a GRA-
TIOSO MEDICORVM ORDINE propediem TIBI conferendis. Gra-
tulor Patriae nostrae florentissimae, gratulor aegrotis, qui TVIS
vsi sunt consiliis, quod probum maximeque adtentum Medicum
sint inuenturi. Ad me vero quod adinet, nihil sane est, quod abs
TE maiorem in modum petere possem, quam ut et in posterum per-
grata TVA amicitia me dignari, semperque me de meliori commen-
datum habere velis. Vale, mihique faue. Dabam Halae Magdeb.
die XXVI. Maii MDCCCLVII.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
CHRISTIAN. ZACHAR. RVECKER
OPPONENS.

Cum iam festiva illa dies honoribus TVIS immineat : amicitiam, quae nos intercedit , omnino violarem, si hanc occasionem absque vlo animi mei erga TE testimonio publico praetermitterem, neque amicorum TIBI gratulantium numero accederem. Ex quo enim mihi contigit fortuna in TVAM perueniendi notitiam coniunctissimumque amicitiam: ex eo semper admiratus sum TVAM indefessam industriam, qua in ediscenda et excollenda arte medica vsus es, Hinc aliter fieri non potuit, quam vt hanc vitam academicam, maxima cum laude gestam, nunc ad finem perducas exoptatum. Quales progressus per breue tempus in diuino hoc studio fecisti, monstrat praesens abs TE egregie elaboratum specimen. Gratulor itaque TIBI, DIGNISSIME CANDIDATE, de honoribus Doctoralibus, quos iam impetas tanquam iusta diligentiae TVAE et meritorum TVORVM praemia. Gratulor patriae, in primis aegrotantibus a TE consilia et auxilia perturris. Ceterum vale, neque mei immenor viue. Dabam Halae Magdeb. d. XXVI. Mai.

A. R. S. MDCCCLVII.



DOMINGO CANDIDATO
EPISTOLARIS TITULUS
CORNUTUS

AB 277




00A6282

ULB Halle
002 828 103

3



Patio ✓



59

DE
FEBRIVM MALIGNARVM
ANCIPITI EVENTV
OB TVBVM CIBARIUM
BILE ET CRVDITATIBVS REPLETVM

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
 ET
 CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
 P R A E S I D E

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
 SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
 POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
 MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
 ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XXVIII. MAI, A. O. R. C¹CCCCLVII.
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBlice DISPVTABIT

AVCTOR
IOANNES THEOPHILVS KLOSE
 VRATISLAVIA - SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE
 E T Y P O G R A P H E O C V R T I A N O.